

## INTERVENTI AL SINODO DEI VESCOVI

RAIMUNDUS LEO CARDINALIS BURKE, Praefectus Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, “Ecclesia uti speculum iustitiae in mundo”, textus completus interventus in scriptis, 23 Octobris 2012 (Synodus Episcoporum, XIII Coetus Generalis Ordinarius, Nova evangelizatio ad christianam fidem tradendam, 7-28 Octobris 2012).\*

*Beatissime Pater, Venerabiles Patres, Fratres et Sorores in Christo.*

**I**NSTRUMENTUM LABORIS nobis memorat testimonium de fide christiana esse responsum “convenientissimum problematis exsistentialibus”, speciatim quia tale testimonium vincit falsum “Evangelii vitaeque discrimen” (n. 118). Beatus Ioannes Paulus Papa II modo etiam fortiore in Adhortatione Apostolica *Christifideles laici* declaravit quod “christiana fides responsum constitutat unice plene validum, ab omnibus plus minusve conscientie agnatum et invocatum, ad quaestiones et exspectationes, quas vita ipsa homini et societatibus imponit singulis” (n. 34). Sed, ut habeatur testimonium de fide quod mundus hodiernus vehementius exigit, cohaerentia vitae cum fide intra Ecclesiam necessarie postulatur. Beatus Ioannes Paulus Papa II in eadem Adhortatione Apostolica monuit quod “consortium humanum spiritu christiano” imbuere possumus solummodo “si christianus communictatum ipsarum ecclesialium contextus … renovetur” (n. 34).

Inter laesiones graviores in societate hodierna adnumeratur alienatio culturae legalis a sua radice obiectiva seu metaphysica quae est lex moralis. Temporibus recentioribus talis alienatio valde aucta est, se manifestans uti verum antinomianismum qui actiones quidem intrinsecus malas legales constituit, uti abortum procuratum, generationem vitae humanae artificialem ad experimenta de vita humana embryonali agenda, sic dictam euthanasiam eorum qui vere primo titulo gaudent ad nostra cura fruendum, agnitionem unionum partium eiusdem sexus tamquam matrimonialium, et iuris fundamentalis conscientiae et libertatis religiosae denegationem. Beatus Ioannes Paulus Papa II in Litteris encyclicis *Veritatis splendor* magna cum caritate pastorali notavit periculum visionis totalitariae in guberniis quae antea hanc

\* Pubblichiamo il breve testo completo dell'intervento scritto del Prefetto della Segnatura Apostolica al Sinodo dei Vescovi, in data 23 ottobre 2012, con incisive riflessioni sulla giustizia e sul diritto nella vita della Chiesa (N.d.R.).

visionem Marxianam condemnaverant hodie comprobatum esse (cf. n. 101). Ipse in Litteris encyclicis *Centesimus annus* nobis memorat: "Populare tandem regimen principiis carens in totalitarismum manifestum occultumve prompte vertitur, ut hominum annales commonstrant" (n. 46). In sua Allocutione ad Berolinensem foederatum coetum oratorum, die 28 Septembris 2011, Benedictus Papa XVI eadem cum caritate pastorali modo claro et valde accessibili obsequium erga naturam et rationem uti veros fontes legis illustravit.

Antinomianismus in societate civili verificatus, proh dolor, etiam vitam ecclesiale ingressus est tempore postconciliari quod infeliciter cum sic dictis rebus novis culturalibus simul incidit. Quoad statum disciplinae ecclesialis, eo tempore quando recognitio Codicis Piani-Benedictini iam per multis annis expectabatur, nonnulli conclusionem falsam deduxerunt quod lex amplius in Ecclesia non daretur. Sensus postconciliaris temulentus de nova ecclesia constituenda libertate et amore signata habitum erga disciplinam perennem Ecclesiae indifferentiae vel etiam hostilitatis valde fovebat. Ideoque, iusta reformatio vitae ecclesialis a Patribus Conciliaribus optata quodammodo impeditebatur, si non prodebatur, ob neglegentias et abusus disciplinae ecclesialis, exempli gratia, in celebratione Sacrae Liturgiae, in institutione sacerdotum et sodalium vitae consecratae institutorum et in vita eorundem sacerdotum et sodalium consecratorum, in ordinatione operis catecheticae et scholarum catholicarum, in processuum canonicorum de matrimonii nullitate pertractatione.

Disciplina ecclesialis, in Sacris Scripturis primo evidens et saeculis christianis organice evoluta, uti Beatus Ioannes Paulus Papa II memoravit in Constitutione Apostolica *Sacrae disciplinae leges* qua Codicem Iuris Canonici promulgavit, large ignota manebat quidem penes Episcopos et sacerdotes. Servus Dei Paulus Papa VI, Beatus Ioannes Paulus Papa II, et nunc Benedictus Papa XVI instanter locuti sunt de necessario ac fundamentali ministerio quod lex Ecclesiae praestat, speciatim corrigentes falsam dichotomiam inter rem pastoralem et normam canonicam. In Allocutione ad Romanae Rotae Tribunal diei 22 Ianuarii 2011, Summus Pontifex denuo iustam necessitudinem inter legem et rem pastoralem urgebat ad bonum matrimonii et familliae in Ecclesia recte tuendum.

Novam evangelizationem hodie agentes fundamentum ponere necessarie debemus in scientia traditionis disciplinalis Ecclesiae et obsequio erga ius in Ecclesia. Sollicitudo pro disciplina in Ecclesia non constituit introspectiōnem missioni Ecclesiae in mundo repugnantem sed iusta attentio ut testimonium cohaerens de fide in mundo praestare possimus. Ministerium iuris canonici valde humile sed etiam pernecessarium est in Ecclesia. Quomodo enim possumus testimonium de fide mundo praebere quando requisita iustitiae in Ecclesia vel ignoramus vel minime observamus? Salus animarum

quae est finis principalis novae evangelizationis etiam “in Ecclesia suprema semper lex esse debet” (can. 1752).

Gratias vobis ago. Duxi.

RAIMUNDUS LEO CARDINALIS BURKE